EMENDATIONES NONNULLAE

IN

EPISTOLAS CICERONIS

QUAE SUNT

AD FAMILIARES ET *AD ATTICUM*

MISSAE.

ACCEDUNT

IN FRAGMENTA ILLA LIBRI CICERONIS *DE FATO*, QUAE NUPER MODENAE EDITA SUNT,

OBSERVATIONES,

NECNON

FASCICULUS EMENDATIONUM

IN SCRIPTORES VARIOS.

SCRIPSIT HENR. ALANUS.

DUBLINII: APUD HODGES ET SMITH.

LONDINII: APUD SIMPKIN, MARSHALL, ET SOCIOS.

MDCCCLIV.

Price SIXPENCE, *Stitched.*

EMENDATIONES NONNULLAE

IN

EPISTOLAS CICERONIS

QUAE SUNT

AD FAMILIARES ET *AD ATTICUM*

MISSAE.

ACCEDUNT

IN FRAGMENTA ILLA LIBRI CICERONIS *DE FATO*, QUAE NUPER MODENAE EDITA SUNT,

OBSERVATIONES,

NECNON

FASCICULUS EMENDATIONUM

IN SCRIPTORES VARIOS.

SCRIPSIT HENR. ALANUS.

DUBLINII: APUD HODGES ET SMITH.

LONDINII: APUD SIMPKIN, MARSHALL, ET SOCIOS.

MDCCCLIV.

DUBLINII:
TYPIS EXPRESSIT M. H. GILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

PRAEFATIO.

Quum paucis abhinc annis Epistolas Ciceronis, quae sunt *ad Familiares* et *ad Atticum* missae, paulo studiosius relegerem, nempe id agens, ut Latinitatem lectiorem in adversariis exciperem atque in indices (quos dicimus hodie) cogerem, visus mihi sum in emendationes nonnullas obiter incidere. Quas cur hoc tempore voluerim edere, causa fuit, quod a V. C., Baitero, Professore Turicensi, per literas certior factus sum, editionem se Ciceronis Lipsiae emittendam recepisse; si quid vellem ad Epistolas emendandas conferre, lubenter se usurum. Non multum laboris prae me fero: sed usu venire credo, ut non minus felices aliquando fortuitae emendationes exsistant, quam cum labore atque operose quaesitae. Ceterum editione sum usus Orelliana, etiam alias nonnullas subinde respiciens.

Sed his addere lubuit etiam in fragmenta illa libri *de Fato*, quae a V. D., L. C. Feruccio, nuper inventa et Modenae edita magnopere animos doctorum

commoverunt, nonnullas observationes. De quibus fragmentis non a me alienum esse arbitror, quid sentiam, dicere, quid facile possim ad ipsa tuenda, emendanda, explenda conferre, experiri. Sed hoc monitum lectorem volo, ex iis, quae et ipse inventor et alii jam in fragmenta haec scripserunt, et quidem in utramque partem et pro veritate ipsorum et contra, non plura me accepisse, quam Philologi Cantabrigienses in Diurnale suum (pp. 103, 4. et 292.) retulerunt.

Denique accedit etiam in alios nonnullos scriptores fasciculus emendationum, quas diu in scriniis abditas nolui pati intercidere. In quibus scriptoribus (nam monendum hoc videtur) recentiores editores quid effecerint, plane nescio, quum fuerim multos hos annos (quot enim, non curo meminisse) ad unum Ciceronem totus conversus.

Dublinii Idib. Juniis MDCCCLIV.

I.

EMENDATIONES NONNULLAE

IN EPISTOLAS CICERONIS

QUAE SUNT *AD FAMILIARES* ET *AD ATTICUM* MISSAE.

I. IN EPISTOLAS *AD FAMILIARES*.

III. 7. 2.: "quum ego cognoscere non *possem, nisi quum —."**

Ex supplemento est *possem*. Fortasse: *quum ego cognoscerem, nisi* —; nimirum ut *nisi* sit pro *non nisi:* vide nos ad Sallust. *Jug.* 54. et 83., ad Cic. *de Nat. Deor.* i. 33. extr. Sed, hanc structuram qui tueantur, quoniam Vir Egregius, Ferd. Handius *Tursell.* vol. iv. p. 253. vix operae pretium esse dicit eorum refutare opinionem, lubet mihi, etiam paulo recentioris Latinitatis exemplis positis, docere, quam sit in proclivi in hunc loquendi modum incurrere. Sic igitur Petrus ille Alcyonius *de Exsilio* lib. i. p. 45., "Quod minus saepe ei liceat Legatum Avunculum disputantem audire, de quo certe potissimum ea audiret, quae *nisi* de illo ipso audiri possint." Ubertus Folieta *de Linguae Latinae Usu et Praestantia*, in Epistola p. 8., "Nam gloria ea, quae a suae aetatis hominibus speratur, minimi momenti instar esse debet, neque de ea magnopere scriptores laborare oportet, quippe quae *nisi* maligne et ab invitis fere expressa

veniat." Jos. Scaliger. *Epistt.* p. 227., "κακόηθες, quod *nisi* cum vita exuere possunt." Vide etiam infra p. 20.

V. 9. 1. (Vatinius): "Si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius cliens advenit*, qui pro se causam dicier* vult."

Edd. quaedam *ad te venit.* Fortasse: *venit, a te qui —.* Deinde pro *dicier vult* mallem *dici pervelit.*

VII. 9. 1.: "sed ad eum propter ejus *occupationes** nihil sum ausus scribere."

Ex supplemento receptum est *occupationes*, quod vocabulum quomodo potuerit excidere, equidem non video. Nisi forte simul excidit adjectivum quod est *nimias;* ut syllaba *ni* in *nihil* repetita causa exstet lacunae. Fortasse: *propter res ejus.*

— 19.: "qui (libri) quamquam plurimi sunt, doctorem tamen nonnumquam* desiderant."

Med. *unumque.* Fortasse: *unum alterumque*, vel *non unum.*

— 24. 1. "Amoris quidem tui, quoquo me verti, vestigia*."

Fortasse *vidi vestigia.* Nam de alliteratione quae fiat in *verti vidi vestigia* vid. Halm. ad *p. Sest.* p. 166. et 184.

VIII. 14. 2.: "causam illam, non* homines odi."

Med. *unde.* Fortasse: *non utique.*

IX. 8. 1.: "Nosti enim profecto os* ejus* adolescentioris Academiae."

Recte Orellius: "Videndum, anne lateat voc. Graecum."

Quem miror quid potuerit retinere, quo minus utique ἔθος conjectura assequeretur. Infra: "Sed nosti *morem* dialogorum."

X. 25. 1.: "Nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis . . . praeterea fama scientiaque* omnium."

Fortasse: *assensuque omnium:* cf. *de N. D.* ii. 2. 4.

XII. 11. 2.: "Scire te volo, firma praesidia vobis senatuique *non** deesse."

Est *non* ex supplemento, ut ait Orellius quidem, necessario. Equidem suspicor pro *deesse* scribendum esse *D̄. esse* (decem esse), ut tot firma praesidia esse voluerit, quot recensuit legiones. Cf. etiam epist. 13. n. 4., "Cassius noster cum *decem* legionibus —."

— 30. 3.: "Requisivi equidem proprias ad me unum a* te literas."

Med. *ad literas.* Fortasse: *proprias ad me unum a te proprias ad literas.*

XIII. 4. 2.: "Quum *enim** tribuni pl. —."

A codd. abest *enim;* recte: cf. *de Off.* i. 13. 40., "Quum a Pyrrho —."

— 12. 1.: sed ut [ad*] hanc addam."

Fortasse: *sed ut adeo* —.

— 21. 1.: "vir . . . in omni genere officii diligendus*."

Jam P. Manutius, quum scriberet, quia *diligens* et *dili-*

gendus non admodum diversa essent, magis sibi placere *diligens*, quam *diligendus*, exempla tamen conferebat superlativi: et facilius etiam poterat compendium superlativi *diligentiss.* vel -*iS.*, quam positivum *diligens*, cum isto *diligendus* commutari. Qualis compendii exstat exemplum in Mediceo supra xi. 4. 2., *bellicosiss.* pro *bellicosissimis*, alterumque in Bosii codice *ad Att.* v. 10. 3., *belliss.* pro *bellissime*, ubi Med. *bellis*, quod potest scribendi modum *belliS* respicere. Neque aliunde pendet emendatio mea in illo *de Off.* i. 36. 130., "et histrionum nonnulli gestus *ineptissimi* non vacant offensione;" ubi quum ex compendio *ineptiS.* exstitisset *ineptIs*, tum necessario abjectum est *offensione*. Eodemque e fonte in *Bruto* 35. 132. petendam censeo emendationem: "Jam Q. Catulus . . . (nisi quid fieri potest perfectius) *eruditissimus*." Nam profecto plusquam eruditum oportet eum fuisse, quo nihil fieri potuerit perfectius.

— — 2.: "ut eum [Hammonium] —."

Liberandum uncis *Hammonium* censeo: vide ad *de Div.* ii. 23., "*Is* autem *Tages* —;" adde supra 1. 3., "*Is* igitur *Patro* —;" et *ad Att.* vi. 3. 6., "*Is* igitur *Gavius* —."

— 29. 7. "Si quid fecerim . . ., id fecisse aliorum consilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior temperatiorque, . . . id me* fecisse* maxime auctoritate Capitonis."

Inconcinnius atque otiose in posteriori membro additum est pronomen *me*, quod in priore omissum est. Neque aptissime in eodem agendi verbum verbo substantivo respondet. Ergo fortasse scribendum *id effecisse maxime auctoritatem Capitonis*.

— 45. "nam de tua erga me voluntate non dubitabat*."

Immo, opinor, *dubitabit*. Cf. epist. 47., "ut sentiat et se a me et me a te amari."

— 58. "Commendo tibi hominem, sicut* tua fides et meus pudor postulat."

Potius *Commendo tibi hominem sic, ut* —. Quomodo divisim scribendum censeo etiam mox 63. 2.

XIV. 4. 5. "Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, ut potes*, honestissime."

Tollenda distinctio, opinor: *ut potes honestissime;* i. e. sicut —

XV. 4. 14. "ut *ex** alienissimis sociis amicissimos . . redderem."

Ex supplemento est *ex*. Malim ergo interponi, *alienissimis ex sociis*, ut non sine causa potuerit excidere.

— 14. 1. "Sed tamen, quod *te** ab eo egregie diligi sensi, multo amicior ei sum factus."

Ex suppl. est *te*. Ergo scribendum *te quod* —. Nam non sine causa solent talia excidere.

XVI. 3. 2. "satis quotidie* videro, si valebis."

Probat Orell. Ernestii suspicionem *satis cito te videro*. Mihi vulgatae lectionis hyperbole sollicitanda non videtur. Cf. 22. 1., "*Mecum es*, si te curas."

— 8. 2. "Ego certe singulos ejus versus singula ejus* testimonia puto."

Corruptum istud alterum *ejus*. Tentat Orell. *singula σοφίας testimonia*. Sed acu V. C. non tetigit rem. Scribe *εἰδότος testimonia*. Cf. *ad Att.* ix. 7. 3., Εἰδυῖς σοι λέγω.

II. IN EPISTOLAS *AD ATTICUM.*

I. 5. 8. "Terentia magnos articulorum dolores habet et* te et sororem tuam et matrem maxime diligit."

Mira junctura rerum, *dolores habet et . . . diligit!* Scribe *Terentia* (*magnos a. d. habet*) *et te et . . . diligit.* Ceterum de parenthesi abruptiori, quasi *autem* particula omissa, nos ad *Cat. M.* 16. 56. n. 37.

— 19. 2. "Atque in re publica nunc quidem* maxime Gallici belli versatur metus."

Fortasse *nunc quum maxime.* Vid. Hand. III. 602.

Ibid. "Nam Aedui, fratres nostri, pugnant; Sequani permale* pugnarunt."

Codd. aliquot *puer* vel *pueri malam.* Fortasse *nuper malam pugnam pugnarunt.* De loquendi modo Ciceronianus noster § 222.

II. 21. 5. "Quin, quum comitia in mensem Octobrem distulisset, . . . putarat Caesar oratione sua posse impelli concionem, ut iret ad* Bibulum."

Supplicatum, inquit Corradus, ut comitia haberi permitteret. Ursino vero magis placeret *ut iret in Bibulum.* Ego scribendum censeo: *ut iret a. d. ad Bibulum;* i. e. *ante diem,* sc. ad quem edicta fuissent comitia.

IV. 3. 2. "Desertus a suis . . . servorum consiliis utitur . . . . Itaque . . . insecutus est me cum suis* . . . Qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt."

Mirari lubet, quibus haec oculis omnes legant. Nam, sive

priora spectes ("*desertus a suis . . . servorum* consiliis utitur") sive posteriora ("facile *operas* aditu prohibuerunt"), nihil apertius esse potest, quam scribendum esse, non *cum suis*, sed *cum servis*. Scribitur autem *servis* per compendium *s'uis*.

— 18. 3. "Hiberna* legionum eligendi optio delata commodum."

Codd. "*hibernam legionem*. Scribe *Hibernorum legionum*. Jam vero de usu gerundii quasi pro genitivo plurali participii vidd. Zumpt. § 661. et Madvig. ad *de Fin.* p. 112., seq.

VI. 1. 3. "quem etiam amare coeperam: sed, dico*, revocavi me, ne —."

Incidi et ipse ultro in Faërni conjecturam *sed illico:* quam negligere Orellius non debebat, in altera editione ipse conjiciens *sed cito.*

— 7. 2. "Tiro ad te dedisset literas, nisi eum graviter aegrum** reliquissem."

Sine defectus signo pergunt codd. fere. Neque erat loci nomen istic ponendum: cf. vii. 2. 3., "Tironem *Patris aegrum* reliqui." Deinde fortasse non ita graviter aegrotabat Tiro, si quidem ne quum iterum quidem in morbum incidisset, graviter aegrotabat, quum tamen gravius soleant ii aegrotare, qui semel levati morbo de integro in eum inciderunt: cf. eamdem illam epist.: "Et, quamquam videbatur se *non graviter* habere, tamen sum sollicitus." Ergo potest, opinor, in *graviter* aliquid latere. Fortasse: *nisi eum gravate in itinere aegrum reliquissem.*

VII. 2. 3. "Tironem Patris aegrum reliqui, ado-

lescentem*, ut nosti; et adde, si quid vis, probum: nihil vidi melius."

Supplendum censeo: *adolescentem* [castum, diligentem], *ut nosti.* Cf. vi. 7. 2., "Nihil enim illo adolescente *castius,* nihil *diligentius.*" In fine autem pro *melius* mallet quis *magis*, sc. probum.

— 3. 5. "Video . . . omnes damnatos, omnes ignominia affectos . . . illac facere . . . omnem illam urbanam ac perditam plebem, . . . omnes qui aere alieno premantur . . .: causam* solum illa causa non habet; ceteris rebus abundat."

Scribe *censum solum*, i. e. homines aliquo censu. Cf. *pro Flacco* 22. 52., "Trallianos Maeandrio causam commisisse, homini egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine *censu.*"

— 4. 1. "Quem quidem cognovi quum doctum, quod mihi jam ante erat notum, tum sanctum*, plenum officii, studiosum etiam meae laudis."

E conj. Manutii editum est hodie *tum sane plenum.* Mihi vero magis placeret *tum castum*, quo vocabulo etiam Tironem laudat vi. 7. 2., "Nihil enim illo adolescente *castius,* nihil diligentius."

Ibid. continuo: "frugi hominem ac, ne libertinum* laudare videar, plane virum bonum."

Fortasse supplendum: *ne libertinum* [non libenter] *laudare videar.*

— 5. 3. "Ego in Tusculanum nihil* sane hoc tempore."

Scribe *nullus sane.* Cf. xv. 29. 1., "Ad M. Aelium *nullus* tu quidem domum."

Ibid. paulo post. "Inde Pomptinam summam*."

Quid istud *summam* sibi velit, docti non assequuntur; et fuerunt qui vellent *invisam* reponere. Ego exitum corruptum superlativi veteris in *-umam* videor agnoscere et reponendum censeo *inamoenissumam*, cujus jam priores syllabae duae facile potuerint propter posteriores duas in *Pomptinam* interire. Et conferre lubet emendationem nostram in illo *de N. D.* iii. 34., "qui, temporibus illis praedo in Pamphylia, *felicissumus* habebatur;" ubi edd. quidem *praedo felix habebatur*, codd. autem tres *p. summus h.* Ad quem locum plura corrupti superlativi exempla dedi, quibus addi potest in *Tusc.* iv. 15. 34. codicis Duisb. lectio *brevi summa* pro *brevissume*, necnon omnium fere infra viii. 15. A. 3. *velis summe* pro *bellissume*. Ceterum ad rem ipsam adhibe *de Orat.* ii. 71. 290., "tamquam in *Pomptinum* deverteris *neque amoenum* neque salubrem locum."

— 9. 1. "Quotidiene, inquis, a te accipiendae literae sunt? Si habebo, cui dem, quotidie. At jam ipse ades. Tum igitur, quum venero*, desinam."

Lamb. *veneris*. Scribe *quum convenero*, sc. *te*. Cf. ix. 9. 2., "quum eum *convenero*;" et 15. 3., "Quum tu haec leges, ego illum fortasse *convenero*;" x. 10. 5., "Sed plura scribam, quum illum *convenero*;" xv. 29. 1., "Brutum quum *convenero*, perscribam omnia."

VIII. 11. 5. "Quod quaeris, quid Caesar ad me scripserit*; quod saepe: gratissimum sibi esse, quod quierim."

Aliquot *scripsit*. Fortasse recipiendum utrumque: *Quod quaeris, quid . . . scripserit, scripsit, quod saepe*.

— 15. A. 3. "Is quaecumque tibi de Caesare dixit

quaeque Caesar* scripsit, scio, re tibi probabit, . . verissime* scripsisse."

Delevit *Caesar* Schuetzius de sententia Graevii. Fortasse *quaeque conscripsit:* cf. xi. 5. 3., xii. 19. 2., 52. 2., xiii. 50. 1.; add. Bakius ad *de Legg.* p. 489. Nam quod simplex sequitur, vide ad *Cat. M.* 1. 2. n. 11. Pro *verissime* autem recipi oportuit e codice Antoniano *bellissime*, eodem spectantibus codicibus Manutii et Malaspinae (adde etiam Mediceum), *velis summe*: de qua corruptione superlativi supra monitum est.

IX. 5. 3. "Ego igitur, si quis* apud Homerum, quum* ei et mater et dea dixisset, . . matri ipse respondit, —."

Codd. fere *si quid . . . cui et.* Ergo cur non sic? *si quidem apud H., cui —.*

X. 4. 4: "ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima*, nos duriore conflictati videmur."

Paulo durius zeugma videtur. Fortasse: *qua illi florentissuma sunt usi.*

— 6. 1. "Quocirca hae sunt breves: et* tamen quia festinabam eramque occupatior."

Laxior omnino est copulae usus; q. d. *adde* tamen quia —: sed nil mutandum. Cf. xi. 17. 1., "Properantibus tabellariis alienis hanc epistolam dedi: eo brevior est, *et* quod eram missurus meos."

— 8. 7. "nisi forte me Sardanapali vicem in meo* lectulo mori malle censueris quam exsilio Themistocleo."

Recte codd. *suo.*: np. *mortui.*

XII. 49. 1. "Rescripsi, patrono illi nihil opus esse . . . .; me tamen ei fauturum*."

Potius *affuturum*, opinor: v. Buechner. ad *p. Rosc. A.* p. 146.

XIII. 32. 3. "His libris nova prooemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Eas literas* volo habeas."

In promptu est conjicere *laudationes.* Sed fortasse ferri potest vulgata: cf. *de F.* i. 4. 12., u. v. Madvig. p. 29.

XV. 1. 1. "O factum male de Alexione! Incredibile* est, quanta me molestia affecerit."

Distinguendum, opinor: *O, factum male de Alexione, incredibile est, quanta* —: cf. i. 11. 3., "Quas tu, *incredibile est*, . . . quanto deteriores offensurus sis;" et vi. 2. 4., "Hac autem re, *incredibile est*, quantum civitates emerserint;" adde *in Verr.* v. 12. 30., *de N. D.* ii. 59. 149.

—1. B. 2. "Ὑπόθεσις vides* quae sit [*et*] persona dicentis."

Fortasse: *Ὑπόθεσιν vides, vides quae sit p. d.:* cf. *de N. D.* iii. 24. 61., "quarum rerum utilitatem *video, video* etiam consecrata simulacra."

— 3. 2. "Antonio, quam* est, volo pejus esse."

Med. *quoniam.* Fortasse: *Antonio quoniam male est, volo pejus esse.*

XVI. 7. 7. "Antonii edictum legi a* Bruto*, et horum contra, scriptum praeclare."

Edd. principes *ab utro:* in quibus verbis agnoscere videor ipsius principium edicti. Nam in vulgata quonam spectat "*horum*"?

§ – Cicero – De Fato.

II.

IN FRAGMENTA QUAEDAM

LIBRI CICERONIS *DE FATO*,

QUAE,

INVENTORE L. C. FERUCCIO, JCTO, NUPER MODENAE EDITA SUNT,

OBSERVATIONES.

1. "Fatum esse nutum[1] Jovis O. M. placitumque[2] deorum immortalium, fides[3] est[3] philosophorum et vulgi communis. Sed quia philosophus nemo vel haberi vel dici solet, nisi parumper[4] a vulgo desciscat, iccirco visum est nonnullis fati necessitatem aut antecessione causarum naturalium quodammodo circumscribere, aut ratione voluntatum atque appetitionum varia quasi fulmen e coelo deducere."

(1) *Fatum esse nutum* —] Docui, ut videor, in editione mea nihil in principio prooemii quidem deesse. En nunc ipsius disputationis principium habemus. Et recipiendum censeo fragmentum hoc in lacunam illam mediam, quae initio capitis tertii explenda est. Neque mirum est, si in vetere codice ipsa disputatio a prooemio interposita inscriptione dirempta fuit. Ceterum ad "*nutum*" adhibe *p. Rosc. A.* 45. 131., *in Cat.* iii. 9. 21. bis.

(2) *placitumque deorum imm.*] Sane non alibi apud Cicero-

nem legitur *placitum;* nec mirum tamen, si, fragmentis novis emergentibus, etiam vocabula aliquot, quorum exempla nulla antehac exstiterint, emergunt. Quae quidem observatio potest etiam ad alia pauca in his fragmentis transferri. Non alibi apud Ciceronem legitur *placitum.* Quid? quam multa, quaeso, in ipso edito libro *de Fato* reperiuntur, quae nusquam alibi apud Ciceronem exstent? ut *bardus, confatalis, conserte, contexte, edomitus, efficienter, grassator, immutabilitas, inenodabilis, mulierosus, obturatus, pituitosus, principalis, ulceratus.* Haec, opinor, nusquam alibi apud Ciceronem leguntur. Non adeo mirum est igitur, si novae fragmentorum accessiones etiam semel dictorum copiam aliquantum adaugent.

(3) *fides est* —.] Non desunt apud Cic. accusativi quidem *fidem* exempla, quum infinitivus objectivus sit ex eo suspensus; nominativi cum verbo substantivo exemplum in eodem usu credo nullum esse. Sed, si vocabula nova multa in hunc librum intulit, ut fecit, potuit, opinor, etiam dicendi modum quadam ex parte inusitatum inferre.

(4) *parumper.*] Nempe tantisper, opinor, dum aliquid excogitet, quod inter intelligentiam suam et vulgi tarditatem ingenii quasi intervallum aliquod interponat. Interpretor propter virum quemdam hypercriticum, qui etiam in hoc vocabulo causam quaesiverit calumniandi, quasi pro *aliquatenus* esset positum.

2. "Vide quid agas; acipenser iste paucorum hominum est. Quaeso, quod exclusi triclinio plures accipenseris deliciis caruere, an vis immutatae voluntatis, quae plaga Democrito est, effecit ex eo quod in aurem Scipionis instillavit Pontius? an acipenser capiendus et Scipio et Pontius et coenaturi simul et non* una

connexione ab immutabili aeternitate continebantur? Mihi quidem expendenti atque aestimanti, quid quisque habeat proprii, quid exp. . ."

(1) *Vide quid agas.*] En auctius fragmentum legimus, quod jam apud Macrobium exstat; id quod non magis mirum est neque magis suspicionem cujusquam debet movere, quam quod plurima librorum *de Republica* loca in palimpsestis Vaticanis reperiuntur auctiora, quae jam apud Nonium et alios leguntur.

(2) *caruere.*] Suspecta mihi terminatio haec perfecti (de qua mox ad *Ciceronianum* nostrum § 137.); et credere lubet pro *caruere an* utique *caruerunt* e codice eruendum fuisse.

(3) *et non* una connexione.*] Sic expleverim: "et non *una secum plures habituri convivas* una connexione —."

(4) *connexione.*] Accedat et hoc semel dictis, quibus liber hic abundat.

(5) *expendenti atque aestimanti.*] Vid. Nizol.

(6) *quid quisque habeat proprii.*] Cf. *de Off.* i. 31. 113., "*expendere* oportebit, *quid quisque habeat sui.*"

(7) *quid exp. . .*] Puta: "quid expressi *necessitate naturae atque coacti,* —."

3. "satis erat dici: Byrsa fundabitur. Id enim in fatis, ut aiunt, fuisset: quae *fata,* Ennius inquit, *Deum rex nutu partitur suo*[1]. Quod vero mutato nomine evertenda fuisset* [id fieri debuisse facile putabitur ex[2]] cohaerentia causarum, [queis Karthago[3]] ad occasum interitumque redigeretur, [mox etiam ad ipsum[2]] exit[ium et eversionem] pertinacia populorum et belli . . ."

(1) *fata Deum rex nutu partitur suo.*] Tenemus, id quod

apertissimum est, posteriorem partem unius dactylici versus et priorem partem alterius. De pronomine *suo* potest fortasse dubitari, poëtae sit necne: sin est, potuit utique elisionem pati, syllaba longa ante brevem, cujus rei ne in Virgiliana quidem versificatione exempla desunt. Neque de versu quidem ego operae pretium putavissem monere, nisi V. D., Schneidewin, visus sibi esset vel iambicum senarium vel trochaicum octonarium in his agnoscere.

([2])—([2])—([2]) Mallem sic: "Quod vero mutato nomine evertenda fuisset, *eversa est illa quidem quum* cohaerentia causarum ad occasum interitumque redigeretur, *augente etiam* exitium et eversionem pertinacia populorum et belli *assiduitate*."

Quae reliquae sunt particulae duae, hae videntur posse unum in contextum coire, sive paucis in medio additis sive nulla facta additione: "Is enim pro salute patriae futura inferos *vidit et sedem mortuorum* attigit."

III.

FASCICULUS EMENDATIONUM

IN SCRIPTORES VARIOS.

CAESAR *DE B. G.* VII. 69.:

"IPSUM erat oppidum in colle summo, admodum edito loco, ut nisi obsidione expugnari posse non* videretur."

Ex codd. Harl. tribus, quos suspicione motus in hoc loco inspexi, duo *non posse:* at unus (4106.) *ut si . . . non v.;* in quo facile mihi persuadeo, librarium, quum in exemplari legeret *ut nisi obs. exp. p. v.*, omissa negandi particula, utique *τὸ nisi* (si quid forte ita proficeret) in *si . . . non* resolvisse. Vide supra ad Cic. *ad Fam.* iii. 7. 2.

IDEM *DE B. C.* I. 1.

"Referunt consules de republica in civitate*."

Lego *in Victoriae*, sc. aede, nota ellipsi. Poterant autem consules eo potissimum ominis causa senatum advocare, et quidem duplicis ominis causa, si in eam Victoriae aedem advocare voluissent, quam Cn. Pompeius dedicaverat, quem utique jam tum omnes haud dubie belli ducem spectabant: de qua Gellius x. 1. 7. Ergo scriptum fuerat per compendium *victae;* deinde, prima syllaba inversa, factum est *civtae*, civitate. Cf. Cic. *ad Fam.* viii. 4. 4., "quum senatus

habitus esset *ad Apollinis* et . . . referretur de —;" *ad Att.* xvi. 14. 1., "Valde tibi essentior, . . . multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quam *in Telluris*."

IDEM IBID. III. 84.:

"Superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat, ut . . . adolescentes atque expeditos, ex antesignanis electos milites* ad pernicitatem, armis* inter equites proeliari juberet."

Putidum *milites;* pro quo *mille* censeo scribendum; nempe ut parem horum numerum fecerit: lege quae hic sequuntur, et conf. *de B. G.* i. 48. Deinde nihili est istud *armis:* scribe *sparsim* vel *sparsi.*

CURTIUS IV. 61. 14.:

"Quidam, occupatis proximis rivis, deverterant longius, ut, quidquid occulti humoris usquam manaret, exciperent; nec ulla adeo avia et sicca* lacuna erat, quae vestigantium sitim falleret."

Nihil attinebat *siccas* quidem persequi lacunas; non bene junguntur *avia* et *sicca;* denique occulti humoris receptacula pervestigabant. Scribe *caeca,* nimirum passive accipiendum.

JUSTIN. V. 1. 3.:

"Quo facto omnia Graeciae regna*, velut ad exstinguendum commune incendium, concurrunt."

Non placet, quod Wopkens. (in *Misc. Obss. Novis*) conjecit, *repente* pro *regna.* At, a nomine *Graeciae* ultima vocali, quae male adhaesit, retracta et litera *G* in duas ex quibus coaluit literas *Ct* divisa, en exstat Justini manus *erecta*

(nam litera *n* extra seriem scripturae est); deinde ex codice Bongarsii recepto *concurrit* pro *concurrunt*, ex aliis quibusdam *omnis* pro *omnia*, totus emendatus locus est: *Quo facto omnis Graecia erecta . . . concurrit.* Cf. xxiv. 1., "Omnes ferme Graeciae civitates ad spem libertatis *erectae* . . . in bellum prorumpunt."

IDEM IBID. 9. 14.

"Auxilia a Lacedaemoniis petivere; quibus accitis* iterato proeliantur."

Tentant Sebisius et Schefferus *acceptis* et *excitis;* frustra. Scribe *quibus aucti:* cf. hujus lib. c. 5., "Qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris erexit. *Aucti* igitur viribus Alcibiadem . . . oppressere;" et xx. 5. 6., "Ita . . . auxiliis Gallorum *auctus* bellum velut ex integro restaurat."

IDEM XIII. 6. 10.

"Perdicca, alienatis rebus*, Aridaeum et Alexandri Magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet."

Pro *rebus* vult Schefferus *reliquis.* Mallem *alienatis regibus*, nempe quos beneficio divisi imperii devinctos sibi fore speraverat: lege c. 4. supra. Inf. xxiv. 1., "dissidentibus . . . *regibus.*"

AUREL. VICTOR *DE CAES.* 1.:

"Mores viro civiles lepidique, flagrante haud modice luxuria ludorumque cupidine atque ad somnum* intemperantia."

Jure Casp. Barthius *Advers.* lib. CLXXX. (Fiedleri Excerpt. cap. 3. pag. 148.) quaerit: "Quomodo somnolentia objicia-

tur Augusto?" Quippe diserte testatur Suetonius cap. 78., non amplius istum, quum plurimum, quam septem horas, solitum dormire. Quod vero idem scribendum censet *aleaeque ad summum intemperantia* (quam emendationem summis laudibus excipit P. Hoffmann. Peerlkamp. *Bibl. Crit. Nov.* vol. V. p. 530.), advocato Suetonio, qui, cetera crimina amolitum, ipsum aleae rumorem non declinasse scribat, vel constituta aetate; non scribit Suetonius Augustum aleae rumorem *non declinasse,* quasi non invitus atque aequo animo rumorem hunc subiisset ac suscepisset neque, ut a se averteret atque amoveret, operam dedisset. Sed scribit "*nullo modo expavisse.*" Veriusque diceres declinasse, quam non declinasse. Sicut re vera declinavit, sed suo modo. Nam non desistebat ludere rumore deterritus, sed ludebat simpliciter et palam, ut facile appareret, oblectamenti causa eum, non lucrandi studio perdendive temeritate ludere; ut vix magis aleae crimen quam somnolentiae in Augustum cadat. Sed veram emendandi viam, nisi fallor, idem Suetonius alio loco (c. 43.) indicabit, ubi ait, spectaculorum et assiduitate et varietate atque magnificentia Augustum omnes antecessisse. Scribendum ergo, opinor: *atque ad sumptum* (vel *sumtum*) *intemperantia:* nam facile poterat vel *sumtum* in *somnum* abire vel *sumptum* in *sompnum.*

INDEX.

OPERA HENRICI ALANI *LITERARIA*

JAM EDITA SUNT:—

I.

DOCTRINA COPULARUM LINGUAE LATINAE; sive de vi atque usu elegantiori Particularum *AC*, *ATQUE*, *ET*, -*QUE*, deque earum formulis, Commentarius. 12. *Londinii*, 1830.

II.

C. SALLUSTII CRISPI de Catilinae Conjuratione deque Bello Jugurthino libri. Codd. scriptis simul impressisque quadraginta amplius collatis recensuit, *etc.* 12. *Ibid.* 1832.

III.

M. TULLII CICERONIS de Natura Deorum libri tres. Codicibus Musei Britannici collatis sex recensuit atque animadversionibus criticis instruxit—. 12. *Ibid.* 1836.

IV.

— ——— ——— de Divinatione libri duo; ejusdem liber de Fato. Cum Codicibus Harleianis contulit atque emendavit—. 12. *Ibid.* 1839.

V.

CONJECTURAE Animadversionesque Criticae in M. Cornelii Frontonis et M. Aurelii Imperatoris Reliquias a V. C. Angelo Maio anno MDCCCXXIII. Romae editas auctiores. 8. *Dublinii*, 1841.

VI.

M. TULLII CICERONIS de Officiis libri tres. Emendavit, et adnotatione brevi critica ac philologica instruxit—. 12. *Ibid.* 1842.

VII.

— ——— ——— Cato Major sive de Senectute Liber. Codd. MSS. duobus suis collatis recensuit, commentatus est tum critice tum philologice —. 12. *Ibid.* 1852.

VIII.

— ——— ——— Laelius sive de Amicitia Liber. Codd. MSS. tribus suis collatis recensuit. 12. *Ibid.* 1853.

CONTINUO EDENDA

M. T. CICERONIS *DE FINIBUS* Pars. I.